



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER SACRAS** PAROECIALE TEMPLUM SANCTO
STAPHANO PROTOMARTYRI DICATUM,
QUOD IN OPPIDO «SESTO SAN GIOVANNI»
INTRA FINES MEDIOLANENSIS ARCHIDIOECESIS EXSTAT,
AD BASILICAES MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter sacras aedes
Mediolanensis archidioecesis, clarissimorum Pastorum Ambrosii et Caroli mirabili exemplo sanctitatis illustratae, novimus
eminere quoque templum paroeciale Sancto Stephano Protomartyri dicatum, quod, in frequenti et quaestuosa industria
locupleti oppido «Sesto San Giovanni» situm, a florenti eiusdem loci communitate centrum habetur christianaee suae vitae
operumque pastoralium et caritatis, praesertim in senes, advenas, aegrotos et pauperes. Qua re, cum Venerabilis Frater
Noster Carolus Maria S. R. E. Cardinalis Martini, Archiepiscopus Metropolita Mediolanensis, litteris die XIX superioris
mensis datis, etiam parochi ecclesiae clerique populique sui nomine petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae
Minoris honestaremus, Nos, paternae dilectionis Nostrae signum tam caris filiis cupientes praebere, illius dignissimi
Pastoris precibus censemus libenter obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina
Sacramentorum Nobis proposita, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potentate, harum Litterarum virtute
perpetuumque in modum paroeciale templum, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris
decoramus, cum omnibus iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competit;
iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX
editum, servanda sunt. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis
quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Augusti,*
anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretaries Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana